

P V I S

1 6 1 1





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Ec. 50.



BARTOLE  
MAEI BILOVII  
EPIGRAMMATVM  
LIBELLVS XIIIX.

*In Itinere Belgicò conscribitus Anno 1599*  
In Symbolum Magn. viri Bart. Bilovij à Bi-  
lov, Com. Pal. Eq. Aur. Civ. Rom. &c.  
Spes mea Christus erit: Durum Patien-  
tia vincet.

**I**n statione suâ dura atq; indigna ferendo  
Qui sese novit credere resq; Deo,  
Demonis haud astum metuit, nec vana moratur  
Ausa hominum, duraq; in cruce victor abit.  
Ergo Bilo cum dura premunt te, mollia semper  
Quòd speras fretus Numinis auxilio  
Ritè facis, victor patiendo dura futurus  
Spe levior fit crux, vincitur atq; fide.

*Joach. Stederus Stendal. Past. ad D. Petr.*



MAGDEBURGI,  
Typis Andreae Dunckeri, ANNO

M. DC II.

Me.



CLARISSIMO ET  
NOBILI JUVENI, DN. G. MARTINIO A  
Baldhofen Saganensi, Silesio, Poëtæ Cæsario & Nota-  
rio Pub. amico & Fratri meo dile-  
ctissimo S.



Ultra socij ambo perpeffi sumus acerba,  
G. Martini, in itinere Belgico. Nosti e-  
nim quamtis periculis vitæ expositi fue-  
rimus: quamta incommoda nobis fors;  
quamtas minas, metusq; hostes; quam-  
tam crudelitatem peregrini; quamtam denique mole-  
stiam tempestatis iniquitas nobis obtulerit. Dissoci-  
are tamen & dissipare nos neq; pericula, neq; incom-  
moda, nec minæ aut metus, nec crudelitas aut mole-  
stia, etsi sæpe tentaverit, hætenus unquam potuerit.  
Pro quo cum fausto reditu, tum amicitia constantia  
ara nobis ponenda erat. Et quoniam in itinere ipso nul-  
lum Hospitium prætermittebam, in quo non aliquid  
Hospitis ergo faceremus carminis: ut & mea, quo-  
rum heic Tibi aliqua consecro publice Epigrammata,  
& tua quorum in tuo Hodæporico copia est abundans  
demonstrat. Prome igitur tua, & typis subijce. Mea  
habet; quæ aræ adfigo: & cum Venusino adcano:

Me tabulâ facer  
Votivâ paries indicat humida  
Suspendisse potenti  
Vestimenta maris Deo.

*Barptolemans Bilov. à Bilovv, C.P.*



AD G. MARTINIVM A BALDHOFEN,  
Poëtam Lauru Cæsariâ Coron.



*Vnc, MARTINE, loco strenna tibi  
mitto libellum,*

*Quem genio ornavit nobilio-  
re Daphne.*

*Continet hic liber explicitis Epi-  
grammata cartis:*

*Materiam nobis Belgia terra  
dedit.*

*Nos circumsteterint, scis quanta pericula terra,*

*Quanta maris: fova nos hac superare dedit.*

*Testis (ne taceas) satis iste libellus abunde,*

*Quod nos disjunct nullus amaror, erit.*

*Accipias ergo, gratamq; huic suffice sedem:*

*Quod Tibi nudabit pectora, carmen habes.*

G. MARTINIO Fratri.

*S* *Mihi, MARTINI, comitem te sponte coadde,*

*Ad patrios quando cogor abire lareis:*

*Nonne pari gressu mecum grex Musicus ibit,*

*Cum Phæbo Charites, Svada, Camèna, Venus?*

*Talem quis comitem sibi non optaret adeptum,*

*Cum quo Nympharum tanta caterva meat?*

*Francof. Marchia.*

G. MARTINIO à BALDHOFEN FRATRI

& sodali meo, in die Georgij.

A2

Nomine



**N**omine clara tuo superis lux surgit ab oris,  
Fronte tibi lætâ quæ peragenda venit.  
Neu rogo ceu reliquos, vexet Rhamnusia vates,  
Te sinat optatâ Fova quiete frui.  
Sufficiat me ferre fera ludibria sortis,  
Te Musa caveâ commo diore tegant.  
Tu labyrinthæas lux nunquàm experta tenebras,  
Titanis rutilò semper honore mices.  
Gaudia, Phæbe pater, tu feta salute reporta,  
MARTINOq; meo gratior usq; redi.  
Helmsteti.

AD CHRISTVM.

**C**HRISTE peregrinis dum febre laborat in oris  
Frater, & hæc mihi qui carior est animâ:  
Tu vatum miserere potens, miserere precantis:  
Da veniam! & fratri porrige frater opem.  
Dic, & vix unum verbum, mea, CHRISTE, vo-  
Lutus & ex illò tempore sanus erit.      luptas:  
Tunc tibi dulcisonos vates cantabimus hymnos,  
Deq; tuo aeternum nomine carmen erit.

AD G. MARTINIVM à BALDHOFEN  
decumbentem.

**F**ebri in ignotis dum te mala macerat oris,  
Fæctat ubi turreis Hoxaris ampla suas:  
Vt validus vireis tibi Fova, rogabimus, addat,  
Frigore quò mixtus deserat ossa calor.  
Thesauro deprompta sacro solamina subdet  
TROSTIVS, insignis carmine, præco Dei.

Mifra



Mi frater, mæstus tecum suspiria duco:  
Tu spera: Et cupidas audit Iöva preces.  
Ad Christum.

**V**ota polos tetigere, Deus suspiria novit;  
Et vetum querulas audit ille preces.  
**CHRISTE** tibi grates agimus, lux unica noctis,  
Sustuleris nostris quod lacrimas oculis.  
Ulterius nostros tibi commendamus amores,  
Et commendatus sit tibi noster honos.  
Deproperemq; iter nunc te Duce & auspice iunctim:  
Laus tua ab amborum primitus ore fluet.

Collatio Brunsvigæ & Monasterij.

**C**onfero Brunsvigam Munsterâ: at polerior  
hæc est;  
Illa capax magis est mœnibus, atq; viris.  
Ad G. Martinium à Baldhofen.

**Q**uamvis concursus populi sit in urbe GEORGI,  
Qui gestit nostro vescier adloquio!  
Dij, nos adspiciunt tamquam miracula mundi!  
Vix, quod quasitis ora loquantur, habent.  
Idq; nec immerito: nam nosti, quamra latro num  
Obruerit nostrum penè procella caput!  
Alter ut inflaret calamos; ut pervigil alter  
Nos comitaretur latro furore ferox.  
Vesalia verùm grate succedimus urbi,  
Et nos hospitio suscipit æqua domus.  
Quæ nos penè neci dederat lux, ecce salutem  
Reddidit, & Nymphis nos superesse dabit. Sic



*Sic nos sideriâ respexit ab arce benigno  
Lumine, qui vitæ prosperat acta, Deus!  
Tu mihi in æternum Pylades sis, ipse ero Orestes,  
Altera pars animæ, dimidiumq; mei.  
Nunc igitur Rheno nos committemus a quo so,  
Dùm nos optatis sistat Jova locis.*

*Vesalia Clivorum.*

AD BALTHASAREM HIDOREUM ARE-  
nacionum, Scholæ R. Arenacionæ.

**E***xcipis hospitio ignotos HIDOREE Poëtas,  
moxq; epulis nostram vis satiare gulam.  
Gratus in ignotâ nobis cum contigit hospes  
Geldrorum in terrâ, latus uterq; fuit.  
Vix Hispanorum rigidos evasimus enses,  
Latronumq; dolos vix superare datum est.  
Nunc iterum quia progredimur, Duce Numine, tu  
Nos ope desertos consiliisq; juvas. ti,  
Gratus uterq; tuq; memor benefacta sonabit,  
Extera nec tellus nesciet illa loqui.*

AD PETRUM GELLIVM DE BON-  
nâ, Ecclesiæ Zutphaniensis in Geldriâ  
Ministram.

**C***um te Zutphaniâ compellarem in urbe,  
Auxilio mihi eras consiliumq; dabas.  
Nec modò consilium: sed veri lumine verbi  
Lustrabas, rectum quò sequeremur iter.*

*Non*



Non quid hic aut alter rixando obtrudit, amemus;  
Verum quid Verbi clara lucerna docet.

Ne nos error agat, mandas, inquire verum:

Sit vobis sit, ais, regula certa Deus.

Vive Hispanorum quem sic pressere furores,  
PETRE, sit à vestrà aia procella domo.

G. MARTINIO à Baldhofen.

Excipit hospitio præclara Daventria fessos,  
Qua floret pura Religionis opus.

HEGIUS heic docuit quondam præceptor Erasmi:

Produxit celebres hæc schola docta viros.

Turbatrix pacis Musas Bellona fugavit,

Exiguum teneant nunc ut in urbe locum.

Ast inter varias Ecclesia mæsta procellas

Non depravato dogmate pasta viget.

AD HENRICVM STROMBERGIVM

Saxonem, scholæ Campensis in Transisu-

laniâ ConR. Poëtam.

STROMBERGI, cum sic placeat, certalimus ul-  
tro:

Da calamum, numeris, incipe, promptus ero.

Promptior ipse comes MARTINVS, Apollo sit horis

Arbiter: haut princeps ipse, nec imus ero.

IN OCEANI PERICVLIS INTER CAM-

pos & Amstelrodamum.

CHRISTE potens ex corde tuū nunc invoco Nu-

Qui nutu celos & moderaris aquas. mea.



*Adrige conspectum, neu nos des piscibus escas,  
Iusta scis nostrum caussa coëgit iter.  
Quò ferimur, strepit horrenda quoq; mortis imago,  
Corruere interitu sutile certat opus.  
Tu solus pacator ades, bonus atq; tumultus  
Hos oro in placidas coge redire viceis.  
Tu nunc Portunum validò jam robore praesta,  
Da sola servatò tangero sicca pede.  
Respice nos rogo, tempus adest, trepidèq; colentem  
Te turbam, videant ne patiare necem.  
Quis te laudabit mæsti sub mole sepulcri?  
Mortuus hant laudes scit memorare tuas.  
In columeis duce te tantos evadere motus  
Si dabis & votis adplicuisse plagis:  
Lata bonis intus grates meditata ferat mens,  
Adsiduâq; tuâ nomina laude vehat!*

*Ad Christum.*

*Q*uam citò, cum nave exiret MARTINVS, in  
Piscibus aq; veriis præda futurus erat. (undis  
Ne fieret, solus protector CHRISTE fuisti,  
Antea ut in variis anchora firma malis.  
Laus sit digna tibi: tu nos post oro gubernes,  
Nos in perniciem ne malus error agat.

*AD G. MARTINIUM A  
Baldhofen.*

*Quam*



*Q*uam specitas, est Scaligeri domus ista Iosephi:  
Curia consurgens è regione jacet.

Hunc adiens illi submisso poplite Musas  
Obfer, & ut faveat vatibus, ipse roga.  
Si presens aderit, veniam: Tu prævius ibis:  
Te pede confestim non remorante sequar.

Lugduni Bat.

AD BONAVENTURAM VOLCANIVM,  
Gr. linguæ Prof. in Acad. Lugd. P. in-  
signem.

*V*OLCANI, dudum nostras pervenit ad aureis  
Rumor, quod Græcas heic comiteris opes.  
Gestit inde tuos animus cognoscere voltus,  
Et tecum fædus pangere Amicitia.  
Bilovius cum Martinò duo pectora in unò  
Hi tuæ erunt germen nobile Amicitia.

INGRESSURVS DELPHOS, SPLENDI-  
dam Batavorum urbem Martinium  
adloquebatur.

*I*ngredimur Delphos felici nave Batavos,  
Delphi Delphorum nobile nomen habent.  
Non veteres illos, quæ templum nobile, Delphos,  
Fatificumve quibus carmen Apollo dabat.  
Funditus eversum templum quodcunq; putatur  
Telluris motu fulminibusq; Jovis.

As

Hac



Hac Evangelij sacra lux clarescit in urbe,  
Iustitiaq; micat Christus Apollo iubar.  
Gens penes antiquos variis simulacra figuris  
Finxerunt, fictos & coluere Deos:  
Heic lustrata cohors meliori luminis usu,  
Eicit à sacrâ numina ficta domo.  
CHRISTE fac, haretici vanis ne templa profanent  
Cultibus, at celebrent intemerata Deum.

AD G. MARTINIVM.

Protulit insignes non tantum SAGNA Poëtas:  
Tota Poëtarum est Slesios ora ferax.  
Vnus MARTINVS vates supereminet omnes:  
Cujus ab ingenio musica lumen habet.  
Delphis Batav.

AD G. MARTINIVM à BALDHOFEN  
de domo natali Erasmi vicinâ templo Pe-  
trino Roterodami.

HAEC MARTINE domus magnum generavit  
Erasmum:  
Barbaries quondam quo duce pulsa fuit.  
Ingenuo quamvis fuerit, monumenta loquuntur:  
Doctrinaq; fuit nobilioris apex.

AD G. M. à B. DE VRBE HARLEMO Bat.

HARLEMIS urbs polcra est, & polcro vate su-  
perbit  
SCHONAEIO, pueros qui docet artis opes.  
Omnia



*Omnia sunt speciosa Deo: quis templa reprehendat?*

*Lumine si CHRISTI sunt speciosa satis.*

*Non pictam, at potiùs vivam Deus inspicit  
ædem:*

*Nec volt humanâ traditione coli.*

**AD IOANNEM FVNGERVM FRISIVM**

*I. V. & Med. D. Poëtam, Orat. & Phi-*

*los, excellentem, Sch. Leo-*

*vard. Rect.*

**I***gnotos facie primùm, mox nomine notos*

*Excipis, atq; tuæ jungis amicitia.*

*Nos lautis reficis dapibus, variisq; loquelis*

*Et musis gaudes exhilarare tuis.*

*Ast ubi postea fames epulis, mensaq; remota,*

*Non potuere tuæ nos retinere preces.*

*Quin valedicentes tibi, Sole sub aquore merso,*

*Ingredimur Christi Numine lintris onus.*

*Sed mediâ de nocte casam trajecimus; illam*

*Copia latronum obsederat heu miserè.*

*Prospiciens quidam summi de culmine tecti,*

*Vt navis vidit prætereuntis opus,*

*O dolor, ô dolor heic, faciesq; miserrima mortis!*

*Exclamat miserâ voce, rogamus opem!*

*Mittite opem subito, cades heic regnat & ensis,*

*Falce citâ cunctos mors violenta metit.*

*Turba silet, metus adjunctos invadit & horror,*

*Nauta laborando pergit, agitq; ratem.*

*Inter*



*Interea aurorâ vix emergente, Febova  
Ad Docci portas ducimur auspicio.*

G. MARTINIO, BALDHOFENIO.

**E** Mbaa potens opibus, & religionis honore,  
Muneribus doctos mactat amatq; viros.  
Exemplo poterat nostro res tota probari.  
Dum nos dimisit non sine muneribus.  
Hanc nisi turbaret Mars, & discordia mundi,  
Phœbicolis esset portus, & aurapiis.

Ingressurus Leram Frisiorum oppidulum.

**N**obile castellum Leram, MARTINE, subimus,  
Quâ schola sat celebri nomine docta fuit:  
EMMIVS hanc reget cum nobilis arte fideq;  
Groningæ cujus jam schola floret ope.  
Cum Musis sunt salva suis habitacula Fovæ,  
Si Mars cum sociis exsulat inde suis.

Ad G. Martinium à Baldhofen.

**C**andida Pierio genuit quem Musa sub antro,  
PIERIVS cœna pectora bina vocat.  
Qui me corde vocat, quoq; Te, MARTINE, vo-  
Tu quoq; Pierius, quando ades, hospes eris. (cabit:  
Candida PIERIO mens est, mens candida Musis:  
Pierium doctô vertice numen habet.

AD



Ad Ioach. Quirlingum Schufianum, Scho-  
læ Patriæ Rectorem.

**H**ic est MARTINVS QVIRLINGI can-  
dide, talem

*Qui mihi se prestat, tu mihi qualis eras.*

*Candidus est, multos qui vincit laude Poetas:*

*Ille tuâ vesci gaudet amicitia.*

*Si placet, excultum ingenium mentemq, probabis:*

*Ingenium, dices, miror, & eloquium.*

De Xylœ quæ exaruit anno 99. post no-  
strum in Belgium discessum.

**Q**uid mirum Xylœs nobis absentibus unda,  
Phæbi frater amans, arida facta fuit.

*Wix ubi Belgarum sumus è tellure reversi,*

*Incipit in solitum cursibus ire locum.*

*Sunt multi testes, & quis manifesta negaret?*

*Omnia & his rebus vera subesse reor.*

*Te redeunte ctenim dulces rediére Ca-  
mœna,*

*Pieridumq, sacer cinctus Apollo choro.*

*Fons tuus hic sacer est tibi: purior ille recur-  
rat,*

*Et tibi Castalis adcinat uber aquis.*

AD CHRISTOPH. PEZE-  
lium D.

*Sic*



**S**ic est: qua Satanas condemnat, honorat Fova,  
PEZELI, electi lux generosa chori.

Quem totiens calamo vivace professus & ore,  
Ob Christum, aethery luminis instar eris.

**IN ALBUM BERNARDI MARTINII A**  
Baldhofen Sag. Sil. Not. P. & LL. C.

**Q**uem BERNARDE meis mea Musa adjungit  
amicis,

Hanc dextram aeterni pignus amoris habe.  
Dextra tibi mens sit, dextram cum mente fideli  
Accipe. Nil laudis Musa bilinguis habet.

Helmsteti.

**AD G. MARTINIVM A BALDHOFEN**  
Groningam Saxonum ingre-  
dientem.

**P**arva GRONINGA quidem nullo est decorata  
nitore,

Structa nec artificii tecta labore vides.  
Attamen hoc Fova surgit memorabile templum,  
Splendidius quò non Teutonis orbis habet.  
Hoc proceres decorant vario spectabile cultu,  
Omnes quod monstrat Biblias historias.  
Non erit hoc uno, sed aivite carmine dignum,  
Quod vel inauditis cantet Apollo modis.  
O flore Groninga tuò polcerrima templò:  
Polcra sat es, Fova si modo polcra domus.

**AD G. MARTINIVM A Baldhofen.**

Simus



*Stimus felices inter convivium, nodi  
Quaestioq; & carta est, & strophæ postæ tibi.  
Quid modò cunctamur? numeris certabimus ambo:  
Arbiter atq; auctor dùm NIVEDORPHVS  
erit. Magdeb.*

*ILLVSTRIET MAGNIFICO VIRO, D. BARPTOL.  
Bilovio à Bilovv C. P. & P. C.*

*Dulce recordari est, durum quodcunq; ferendo  
Quondã erat: hisce fluit vitæ hominum vi-  
Naufragus evasit pelagi qui fortè per undas, cib.  
Hunc memorare aliis ipsa pericla juvat.  
Ensis erepta est si cuius vitæ latronum,  
Quæ tulit, hæc recolit non sine letitia?  
Quem febris, alterius vel morbi injuria torsit,  
Postquàm illi rediit priscus in ossa vigor,  
Quod tunc triste fuit, nunc est meminisse voluptas,  
Præteritis (mirum!) perfruiturq; malis.  
Fallor, an hæc eadem peregrino ex orbe reverso  
Fam tibi, Bilovi, mens Pyladæq; tuo est?  
(Barbara Moschorum qui nunc deserta pererrat,  
Quæ Perègrinandi visere adegit amor.  
Ad patrias redeat sospes Martinus oras,  
O alma exhilarans cum genitrice patrem!)  
Quàm cupidè illius pendebis ab ore Bilovi,  
Quamq; avida voces illius aure bibes,  
Cum referet mores hominum ingeniumq; locorum,  
Multiplices casus, tædia longa via.*

*Aspera*



*Aspera multa quidem terrarū, marique tulistis :  
Sed tantò major letitie seges est.*

*Vivite Musarum pulli, cariūq; sodales !*

*Aeternum inter vos vivat amica fides !*

*Cunradus Rittershusius IC.*

*Ad Dn. G. Martinium Poëtam Nobilem &c.*

*DE CERTAMINE POETICO INTER SESE  
presente Dn. Comite Bilovio &c. Magd.  
A.C. 1599. instituto.*

*Sic; Vrigallum laude cohonestabimus  
Bromiumq;, Martini Poëtarum jubar  
Silesiorum, Bilovio Palamone.*

*Sed quàm ordiamur aliquot evacuabimus*

*Prius dyotas Vrigalli & Liberi,*

*Et largiter Palamonem irrigabimus.*

*Perspecta virtus Vrigalli & Liberi,*

*Si fuerit illi, Cressa non deërit nota*

*Laudi. Ut facile primas tibi concesserim,*

*Martini, ita fer ut tibi secundus audiam,*

*Aut decimus, aut centesimus, millesimus,*

*Aut me pilo licearis & quis sim sciam.*

*Excellis; ingens laus: Modeste; maxima.*

*Sic Vrigallum laude cohonestavimus,*

*Semelesq; prolem: Vtriusq; candidum addidit*

*Laudi Palamon calculum. Aeternum vale*

*Et vive Martini decus Silesia.*

*Thom. Nivendorphus Po. Laur. Cæs. Eccl. Me-  
trop. Magd. Lector, Canon, N. P.*




Ja 2400

ULB Halle

3

003 919 226




Sb.

WMT

ma











BARPTOLE  
MAEI BILOVII  
EPIGRAMMATVM  
LIBELLVS XIIIX.

Q 1573

*In Itinere Belgicò conscribitus Anno 1599*  
In Symbolum Magn. viri Bart. Bilovij à Bi-  
lov, Com. Pal. Eq. Aur. Civ. Rom. &c.  
Spes mea Christus erit: Durum Patien-  
tia vincet.

**I**n statione suâ dura atq; indigna ferendo  
Qui sese novit credere resq; Deo,  
Demonis haud astum metuit, nec vana moratur  
Ausa hominum, duraq; in cruce victor abit.  
Ergo Bilo cum dura premunt te, mollia semper  
Quòd speras fretus Numinis auxilio  
Ritè facis, victor patiendo dura futurus  
Spe levior fit crux, vincitur atq; fide.

Joach. Stederus Stendal. Past. ad D. Petr.



MAGDEBURGI,  
Typis Andreae Dunckeri, ANNO  
M. DCII.

